



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Ex Martialis Phalevcio, de vita beata μιμχδισ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

EX MARTIALIS PHALEVCIO,

de vita beata μίμνσις.

Vitam quæ faciunt mortalibus esse beatam,
 Hæc quisquis numero fortè requiris, habet.
 Res relictæ tibi, proprio nec parta labore,
 Et fata qui multo fenore reddat ager.
 Non operosa domus, sed mundo culta paratu:
 Et qui perpetuo luceat igne focus.
 Omne superuacuis ductum sine litibus æuum,
 Raraque principibus cura placere viris.
 Libera mens cura vigili, pectusque quietum,
 Ingenuæ vires, robora firma satis.
 Corpora Pæonij quæ non sint indiga succi,
 Integritas membris semper amica tuis.
 Prudens simplicitas, vsus consortis amici,
 Conuictus facilis, qui vacet arte cibus.
 Libera nox curis, non ebrietate soluta:
 Non tristis thalamus, castus at ille tamen.
 Somnus qui faciat non longas esse tenebras,
 Vnde tuas vires restituïsse queas.
 Quod sis, esse velis, huic nil præelegeris vnquam:
 Nec tua formides fata, nec illa voces.

DE EADEM EX EVANGELIO

Matthæi. Cap. 5.

Hæc sunt mortales, ipso vel iudice Christo,
 Quæ faciunt læta conditione frui.
 Qui neque diuitias animus, neque curat honores,
 Atque odia offensus non inimica gerit;

Peccati